



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis  
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -  
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput XXXIX. Ecclesiæ quoque Caput visibile esse debet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

## CAPUT XXXIX.

*Ecclesia quoque Caput visibile esse debet.*

493 **S**I enim vera Christi Ecclesia visibile esse debet, Caput habere debet sibi proportionatum; adeoque visibile, visibilemque controversiarum Judicem. Quia omnis Reipublicæ visibile Caput visibile est. In omni etiam Republica bene ordinata, præter leges scriptas, vel consuetudine receptas, necessarius est Judex visibile, qui leges illas autoritative interpretetur, sententiamque sensibilibus profert, siquando circa eas controversia suboriatur. Unde quia sententia Spiritus sancti, utpote invisibilis, non est omnibus nota & manifesta, nec sufficienter innotescit per Scripturam, traditionemque; ubi de sensu ipsius controversia est, nobis Martyrescere debet per aliquod visibile organum, Judicemque visibilem, cujus sententia, sententia sit Spiritus sancti, quam audiens, vel spernens, Deum audire, vel spernere censetur. Luc. 10. Quod Apostolos taliter intellexisse constat ex Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

494 Nec certè est, cur Christus minùs providerit Ecclesiæ suæ, quàm olim provifum erat Synagogæ. In qua visibilem fuisse controversiarum Judicem, constat ex Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicium intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Leviitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsumt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbieris, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministras Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.*

## CAPUT XL.

*Concilium Generale, simul cum Romano Pontifice spectatum, vel ab ipso confirmatum, est visibile, infallibilisque Judex controversiarum fidei & morum.*

495 **Q**uemadmodum enim Comititia generalia regni repræsentant regnum, & quidquid statuunt, statui censetur à toto regno; sic Comititia, seu Concilia generalia Ecclesiæ repræsentant Ecclesiam, & quidquid statuunt, vel definiunt, statui, ac defini censetur à tota Ecclesia. Atqui Ecclesia columna est & firmamentum veritatis, 1. Timoth.

3. *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam,* Marci 16. Ipsi namque Salvator promisit Spiritum veritatis, ut cum ipsa maneat in æternum, Joan. 14. Et Veritas ipsa Matth. 28. *Ecce (inquit) ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Proinde quod Ecclesia judicat, Veritas, & Spiritus veritatis per Ecclesiam judicat, secundum illud Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

Ex his manifestum est, Generale Concilium, cum Capite suo, Romano Pontifice, in definitionibus fidei & morum, errare non posse. Aliàs in iis Ecclesia tota errare posset; nec proinde columna esset, firmamentumque veritatis; ipsaque errante, Spiritus veritatis, & Veritas cum ipsa non permaneret, & adversus eam portæ inferi prævalerent. Quod est contra Evangelium proximè laudatum.

Cujus Evangelii testimoniis permoti plurimi sancti Martyres, pro fide in Concilio Generali definita mortem subierunt, ut Victor Africanus testatur in lib. de persecut. Wandal. Et S. Ambrosius epist. 13. dicere non dubitavit: *Sequitur tractatum Concilii Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterunt separare.* Et Leo Papa epist. 53. *Nicænos Canones per Spiritum sanctum asserit ordinatos.* Et epist. 54. *Spiritu sancto instruisse conditos.* Et epist. 78. ad Leonem Augustum, docet, inter Catholicos dubitari non posse, eos qui resistunt Nicæno, vel Calcedonenf Concilio, esse hæreticos.

Atiunt quidem hæretici, non alio opus Judice, nisi verbo Dei. Sed contra, cum de verbo Dei, sensuè ipsius controvertitur, sine Ecclesiæ, vel Capituli ipsius iudicio nobis constare non potest, quodnam verè sit verbum Dei, vel quis verus sensus ipsius, ut constat ex variis canonicis libris, v. g. epistolâ ad Hebr. secundâ Petri, Jacobi, Judæ, & Apocalypfi, de quibus tandiù dubitatum fuit, donec à Generali Concilio res ista decisa fuit. Et idè Tertullianus de præscript. c. 19. *Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum iuta.*

## CAPUT XLI.

*Romanus etiam Pontifex, cum Ecclesia Romana, absque Generali Concilio, & antequam ipsi Ecclesia universalis consensus accedat, visibile, infallibilisque, & irreformabilis est Judex controversiarum fidei & morum.*

## §. I.

*Totius penè Catholici Orbis hac de re consensus.*

**S**uperiori capite his nobis cum hæreticis fuit, impræsentiarum etiam cum Catholicis quibusdam, sed paucis, comparatione